



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

SS. Ammon Et Soc. MM. 20. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

præter mortem & æternitatem habere. Ita non imparatum hæc offendit anno ab obitu conjugis tertio. Mortuus filix primò visus est, illa verba Vatis blandissimè effari, *Ecce moritur justus, & nemo recogitat*; tum alteri deinde è virginibus regio habitu fulgens nuntiansque MEGENGORIS nomen in MEGENGAVDII sibi mutatum esse. Ex vita S. Adelhaidis & Molano.

Christi humilitas nulli aspernanda divitum, nulli est erubescenda nobilium. Nec enim in tantum provecchi potest qualibet felicitas humana fastigium, ut aestimet sibi pudendū, quod Deus in forma servi non est arbitratus indignum. S. Leo serm. 1. de Resurr.

SS. AMMON ET SOC. MM.

20. Decembris.

S Vb annum partæ salutis CCLIII. Alexandria eodem tempore in Christianos sevitum est, & in latrunculos animadversum, simili in longe dissimillimos supplicio. Fortè inter nomina horum nomen delatum est Genesis. Hic quòd extra culpam esset, facilè se purgavit. Sed dum à latrocinii suspitione absolvitur, ut Christianus accusatur. Hic nihil negare jam Genesis, gloriari hoc facinore. Latronibus igitur sociatus, pejusque his ipse habitus igne crematus est. Hoc verò supplicii genere territus alius quispiam è Christianis, cum nutare non dubiis signis ad tribunal impium videretur, ecce AMMON, ZENO & PTOLEMEVS (fortissimi milites) per medium agmen penetrare, & cum verbis non possent, nutu labantem ad constantiam hortari. Itaque jam oculis annuere, jam manibus loqui, jam lacrymis & gemitibus clamare, jam toto corpore supplicare, ne indignum

gnum quidquam Christiano admitteret. Hoc ipsum verò cum oculos non posset fugere spectatorum, vulgum scilicet in se armarunt. Tum verò nihil dissimulandum amplius rati, in medium omnes prodierunt, & Christum jam pleno etiam ore confessi populum omnem in stuporem rapuerunt, socios contra tyrannum mirum quantum animarunt, ipsi verò gaudio exilierunt, quod caeli civem, hoc est Martyrem, servassent. *Ex Epist. Dion. Alex. apud Euseb.*

Quo, queso, dignum te iudicabis, qui factus ad imaginem factoris tanta in te maiestatis non defendis dignitatem. & tu homo, cum in honore esses, honorem tuum non intelligens, compararis iumentis insipientibus, dum nil spirituale aut aeternum elaboras? S. Bern. epist. 104.

S. THOMAS AP. 21. Decembris.

DIIVS THOMAS, cui etiam palpare fidem licuit; & profuit, dubitasse THOMAM, ut Indus crederet. Nam fidem in Indiam Meliaporem usque tulit, firmavitque miraculo, cum ingenti mole arborem, & quam multi & homines & elephantum movere loco frustra laborarant, obsequentem ipse cingulo suo per milliaria x. tractam templi structuræ devovit, simulque vaticinium edidit, cum mare pertingeret illuc, affuturos, quæquam ipse nunc fidem præluceret, extinctam iterum populis accenderent; quod fieri nuper subceptas Hispanorum navigationes vidimus. Ceterum fuit è sacrificulis tum temporis, qui suam manu filium mactavit, scelusque THOMÆ affinxit. Hic aliam nullam pro se causam dicere THOMAS voluit, præter infantem mortuum. quis credat?
Absol.